

## **Textvorlagen zur Übersetzungsaufgabe in der Schlussklausur**

### **1. Caesarrezeption**

Nil nimium studeo Caesar tibi velle placere,  
nec scire utrum sis albus an ater homo. [Catull. 93]

Tum Brutus: orationes quidem eius mihi vehementer probantur. compluris autem legi; atque etiam commentarios quosdam scripsit rerum suarum.

Valde quidem, inquam, probandos; nudi enim sunt, recti et venusti, omni ornatu orationis tamquam veste detracta. sed dum voluit alios habere parata, unde sumerent, qui vellent scribere historiam, ineptis gratum fortasse fecit, qui volent illa calamistris inurere: sanos quidem homines a scribendo deterruit; nihil est enim in historia pura et inlustri brevitate dulcius. sed ad eos, si placet, qui vita excesserunt, revertamur. [Cic. Brut. 262]

### **2. Caesars Sieg über Vercingetorix bei Alesia (Caes. Gall. 7,84-89)**

(7,84,1) Vercingetorix ex arce Alesiae suos conspicatus ex oppido egreditur; a castris longurios, musculos, falces reliquaque quae eruptionis causa paraverat profert. (2) pugnatur uno tempore omnibus locis atque omnia temptantur; quae minime visa pars firma est, huc concurritur. (3) Romanorum manus tantis munitionibus distinetur nec facile pluribus locis occurrit. (4) multum ad terrendos nostros valet clamor qui post tergum pugnantibus exstitit, quod suum periculum in aliena vident virtute constare; (5) omnia enim plerumque, quae absunt, vehementius hominum mentes perturbant.

(85,1) Caesar idoneum locum nactus quid quaque in parte geratur cognoscit; laborantibus submittit. (2) utrisque ad animum occurrit unum esse illud tempus, quo maxime contendи conveniat: (3) Galli nisi perfregerint munitiones, de omni salute desperant; Romani si rem obtinuerint, finem laborum omnium exspectant. (4) maxime ad superiores munitiones laboratur, quo Vercassivellaunum missum demonstravimus. iniquum loci ad declivitatem fastigium magnum habet momentum. (5) alii tela coniciunt, alii testudine facta subeunt; (6) defatigatis invicem integri succedunt. agger ab universis in munitionem coniectus et ascensum dat Gallis et ea, quae in terra occultaverant Romani, contegit; nec iam arma nostris nec vires suppetunt.

(86,1) His rebus cognitis Caesar Labienum cum cohortibus sex subsidio laborantibus mittit; (2) imperat, si sustinere non possit, deductis cohortibus eruptione pugnet; id nisi necessario ne faciat. (3) ipse adit reliquos, cohortatur ne labori succumbant; omnium superiorum dimicationum fructum in eo die atque hora docet consistere. (4) interiores desperatis campestribus locis propter magnitudinem munitionum loca praerupta ex ascensi temptant; huc ea quae paraverant conferunt. (5) multitudine telorum ex turribus propugnantes deturbant, aggere et cratibus fossas explent, falcibus vallum ac loricam rescindunt.

(87,1) Mittit primum Brutum adulescentem cum cohortibus Caesar, post cum aliis C. Fabium legatum; (2) postremo ipse, cum vehementius pugnaretur, integros subsidio adducit. (3) restituto proelio ac repulsis hostibus eo quo Labienum miserat contendit; (4) cohortes iiii ex proximo castello deducit, equitum partem se sequi, partem circumire extiores munitiones et a tergo hostes adoriri iubet. Labienus postquam neque aggeres neque fossae vim hostium sustinere poterant, coactis undecim cohortibus, quas ex proximis praesidiis deductas fors obtulit, Caesarem per nuntios facit certiorem, quid faciendum existimet. accelerat Caesar, ut proelio intersit.

(88,1) Eius adventu ex colore vestitus cognito, quo insigni in proeliis uti consuerat, turmisque equitum et cohortibus visis quas se sequi iusserat, ut de locis superioribus haec declivia et devixa cernebantur, hostes proelium committunt. (2) utrimque clamore sublato excipit rursus ex vallo atque omnibus munitionibus clamor. (3) nostri omissis pilis gladiis rem gerunt. repente post tergum

equitatus cernitur; cohortes aliae adpropinquant. hostes terga vertunt; fugientibus equites occurunt. fit magna caedes.

(4) Sedullus dux et princeps Lemovicum occiditur; Vercassivellaunus Arvernus vivus in fuga comprehenditur; signa militaria lxxiiii ad Caesarem referuntur; pauci ex tanto numero incolumes se in castra recipiunt. (5) conspicati ex oppido caudem et fugam suorum desperata salute copias a munitionibus reducunt. (6) fit protinus hac re audita ex castris Gallorum fuga. quodnisi crebris subsidiis ac totius diei labore milites essent defessi, omnes hostium copiae deleri potuissent. (7) de media nocte missus equitatus novissimum agmen consequitur; magnus numerus capitur atque interficitur, reliqui ex fuga in civitates discedunt.

(89,1) Postero die Vercingetorix concilio convocato id bellum suscepisse se non suarum necessitatum, sed communis libertatis causa demonstrat, (2) et quoniam sit Fortunae cedendum, ad utramque rem se illis offerre, seu morte sua Romanis satisfacere seu vivum tradere velint.

(3) mittuntur de his rebus ad Caesarem legati. (4) iubet arma tradi, principes produci. ipse in munitione pro castris consedit; eo duces producuntur. Vercingetorix deditur, arma proiciuntur.

(5) reservatis Haeduis atque Arvernis, si per eos civitates recuperare posset, ex reliquis captivis toti exercitui capita singula praedae nomine distribuit.

### 3. Cicero über Caesar, Mamurra und Konsorten (Cic. Att. 7,7,4-6)

(4) De honore nostro, nisi quid occulte Caesar per suos tribunos molitus erit, cetera videntur esse tranquilla; tranquillissimus autem animus meus, qui totum istuc aequi boni facit, et eo magis quod iam a multis audio constitutum esse Pompeio et eius consilio in Siciliam me mittere quod imperium habeam. id est 'AbdhritikOn; nec enim senatus decrevit nec populus iussit me imperium in Sicilia habere; sin hoc res publica ad Pompeium refert, qui me magis quam privatum aliquem mittit? itaque si hoc imperium mihi molestum erit, utar ea porta quam primam videro.

(5) Nam quod scribis mirificam exspectationem esse mei neque tamen quemquam bonorum aut satis bonorum dubitare quid facturus sim, ego quos tu bonos esse dicas non intellego. ipse nullos novi, sed ita, si ordines bonorum quaerimus. nam singulares sunt boni viri; verum in dissensionibus ordines bonorum et genera quaerenda sunt. senatum bonum putas, per quem sine imperio provinciae sunt ? numquam enim Curio sustinuisse, si cum eo agi coeptum esset; quam sententiam senatus sequi noluit, ex quo factum est ut Caesari non succederetur, an publicanos, qui numquam firmi sed nunc Caesari sunt amicissimi, an faeneratores, an agricolae, quibus optatissimum est otium? nisi eos timere putas ne sub regno sint qui id numquam, dum modo otiosi essent, recusarunt.

(6) Quid ergo? exercitum retinentis, cum legis dies transierit, rationem haberi placet? mihi vero ne absentis quidem; sed cum id datum est, illud una datum est. annorum autem decem imperium et ita latum <placet>? placet igitur etiam me expulsum et agrum Campanum perisse et adoptatum patricium a plebeio, Gaditanum a Mytilenaeo, et Labieni divitiae et Mamurrae placent et Balbi horti et Tusculanum. sed horum omnium fons unus est. imbecillo resistendum fuit, et id erat facile; nunc legiones xi, equitatus tantus quantum volet, Transpadani, plebes urbana, tot tribuni pl., tam perdita iuventus, tanta auctoritate dux, tanta audacia. cum hoc aut depugnandum est aut habenda e lege ratio. 'depugna' inquis 'potius quam servias.' ut quid? si victus eris, proscribare, si viceris, tamen servias? 'quid ergo' inquis 'acturus es?'

[Formiae, nach dem 19.12./3.11.50 v. Chr.]

### 4. Sallusts Synkrisis der Gegenspieler Caesar und Cato in der *coniuratio Catilinae* (Sall. Cat. 53,2-54,5)

(53,2) Sed mihi multa legenti, multa audienti, quae populus Romanus domi militiaeque, mari atque terra praeclara facinora fecit, forte lubuit adtendere, quae res maxume tanta negotia sustinuisse. (3) sciebam saepenumero parva manu cum magnis legionibus hostium contendisse; cognoveram parvis copiis bella gesta cum opulentis regibus, ad hoc saepe fortunae violentiam toleravisse, facundia

Graecos, gloria belli Gallos ante Romanos fuisse.

(4) ac mihi multa agitanti constabat paucorum civium egregiam virtutem cuncta patravisse, eoque factum, uti divitias paupertas, multitudinem paucitas superaret. (5) sed postquam luxu atque desidia civitas corrupta est, rursus res publica magnitudine sui imperatorem atque magistratum vitia sustentabat ac, sicuti effeta <esset> partu, multis tempestatisbus haud sane quisquam Romae virtute magnus fuit.

(6) sed memoria mea ingenti virtute, divorsis moribus fuere viri duo, M. Cato et C. Caesar. quos quoniam res obtulerat, silentio praeterire non fuit consilium, quin utriusque naturam et mores, quantum ingenio possum, aperirem.

(54,1) igitur iis genus aetas eloquentia prope aequalia fuere, magnitudo animi par, item gloria, sed alia alii. (2) Caesar beneficiis ac munificentia magnus habebatur, integritate vitae Cato. ille mansuetudine et misericordia clarus factus, huic severitas dignitatem addiderat. (3) Caesar dando sublevando ignoscendo, Cato nihil largiundo gloriam adeptus est. in altero miseris perfugium erat, in altero malis pernicies. illius facilitas, huius constantia laudabatur. (4) postremo Caesar in animum induxerat laborare, vigilare; negotiis amicorum intentus sua neglegere, nihil denegare quod dono dignum esset; sibi magnum imperium, exercitum, bellum novom exoptabat, ubi virtus enitescere posset. (5) at Catoni studium modestiae, decoris, sed maxime severitatis erat; non divitiis cum divite neque factione cum factioso, sed cum strenuo virtute, cum modesto pudore, cum innocentia abstinentia certabat; esse quam videri bonus malebat: ita, quo minus petebat gloriam, eo magis illum adsequebatur.

## 5. Die Überschreitung des Rubicon (Suet. Iul. 31,2-33,1)

consecutusque cohortis ad Rubiconem flumen, qui prouinciae eius finis erat, paulum constitit, ac reputans quantum moliretur, conuersus ad proximos: 'etiam nunc,' inquit, 'regredi possumus; quod si ponticulum transierimus, omnia armis agenda erunt.' cunctanti ostentum tale factum est. quidam eximia magnitudine et forma in proximo sedens repente apparuit harundine canens; ad quem audiendum cum praeter pastores plurimi etiam ex stationibus milites concurrissent interque eos et aeneatores, rapta ab uno tuba prosiliuit ad flumen et ingenti spiritu classicum exorsus pertendit ad alteram ripam. tunc Caesar: 'eatur,' inquit, 'quo deorum ostenta et inimicorum iniquitas uocat. iacta alea est,' inquit. atque ita traecto exercitu, adhibitis tribunis plebis, qui pulsi superuenerant, pro contione fidem militum flens ac ueste a pectore discissa inuocauit.

## 6. Curios entscheidende Rede – dramaturgischer Höhepunkt in Caesars Bürgerkrieg (Caes. civ. 2,32)

(32) Dimisso consilio contionem advocat militum. commemorat, quo sit eorum usus studio ad Corfinium Caesar, ut magnam partem Italiae beneficio atque auctoritate eorum suam fecerit. 'vos enim vestrumque factum,' inquit, 'omnia deinceps municipia sunt secuta, neque sine causa et Caesar amicissime de vobis et illi gravissime iudicaverunt. Pompeius enim nullo proelio pulsus vestri facti praeiudicio demotus Italia excessit; Caesar me, quem sibi carissimum habuit, provinciam Siciliam atque Africam, sine quibus urbem atque Italiam tueri non potest, vestrae fidei commisit. at sunt qui vos hortentur, ut a nobis desciscatis. quid enim est illis optatius quam uno tempore et nos circumvenire et vos nefario scelere obstringere? aut quid irati gravius de vobis sentire possunt, quam ut eos prodatis, qui se vobis omnia debere iudicant, in eorum potestatem veniatis, qui se per vos perisse existimant? an vero in Hispania res gestas Caesaris non audistis? duos pulsos exercitus, duos superatos duces, duas receptas provincias? haec acta diebus xl, quibus in conspectum adversariorum venerit Caesar? an qui incolumes resistere non potuerunt, perdit resistant? vos autem incerta Victoria Caesarem secuti diiudicata iam belli fortuna victum sequamini, cum vestri officii praemia percipere debeatis? desertos enim se ac proditos a vobis dicunt et prioris sacramenti mentionem faciunt. vosne vero L. Domitium, an vos Domitius deseruit? nonne extremam pati

fortunam paratos proiecit ille? non sibi clam vobis salutem fuga petivit? non prodiit per illum Caesaris beneficio estis conservati? sacramento quidem vos tenere qui potuit, cum projectis fascibus et deposito imperio privatus et captus ipse in alienam venisset potestatem? relinquitur nova religio, ut eo neglecto sacramento, quo tenemini, respiciatis illud, quod ditione ducis et capitis deminutione sublatum est.

at, credo, si Caesarem probatis, in me offenditis. qui de meis in vos meritis praedicaturus non sum, quae sunt adhuc et mea voluntate et vestra exspectatione leviora; sed tamen sui laboris milites semper eventu belli praemia petiverunt, qui qualis sit futurus, ne vos quidem dubitatis. diligentiam quidem nostram aut, quem ad finem adhuc res processit, fortunam cur praeterea? an paenitet vos, quod salvum atque in colum exercitum nulla omnino navi desiderata traduxerim? quod classem hostium primo impetu adveniens profligaverim? quod bis per biduum equestri proelio superaverim? quod ex portu sinuque adversariorum ecclaves oneratas abduxerim eoque illos compulerim, ut neque pedestri itinere neque navibus commeatu iuvari possint? hac vos fortuna atque his ducibus repudiatis Corfiniensem ignominiam, Italiae fugam, Hispaniarum ditionem – Africi belli praeiudicia – sequimini! equidem me Caesaris militem dici volui, vos me imperatoris nomine appellavistis. cuius si vos paenitet, vestrum vobis beneficium remitto, mihi meum restituite nomen, ne ad contumeliam honorem dedisse videamini.'

## 7. Feldherrenreden vor Pharsalos (Caes. civ. 3,85-87,4)

(3,85,1) Pompeius, qui castra in colle habebat, ad infimas radices montis aciem instruebat, semper, ut videbatur, expectans, si inquis locis Caesar se subiceret. (2) <Caesar> nulla ratione ad pugnam elici posse Pompeium existimans hanc sibi commodissimam belli rationem iudicavit, uti castra ex eo loco moveret semperque esset in itineribus, haec spectans, ut movendis castris pluribusque adeundis locis commodiore re frumentaria uteretur, simulque in itinere ut aliquam occasionem dimicandi nanciseretur et insolitum ad laborem Pompei exercitum cotidianis itineribus defatigaret. (3) his constitutis rebus, signo iam profectionis dato tabernaculisque detensis animum adversum est paulo ante extra cotidianam consuetudinem longius a vallo esse aciem Pompei progressam, ut non iniquo loco posse dimicari videretur. (4) tum Caesar apud suos, cum iam esset agmen in portis, 'differendum est' inquit 'iter in praesentia nobis et de proelio cogitandum, sicut semper depoposcimus. animo simus ad dimicandum parati; non facile occasionem postea reperiemus.' confestimque expeditas copias educit.

(3,86) Pompeius quoque, ut postea cognitum est, suorum omnium hortatu statuerat proelio decertare. namque etiam in consilio superioribus diebus dixerat, priusquam concurrerent acies, fore uti exercitus Caesaris pelleretur. (2) id cum essent plerique admirati, 'scio me' inquit 'paene incredibilem rem polliceri; sed rationem consilii mei accipite, quo firmiore animo <ad> proelium prodeatis. (3) persuasi equitibus nostris, idque mihi facturos confirmaverunt, ut cum propius sit accessum, dextrum Caesaris cornu ab latere aperto adgredierentur et circumventa a tergo acie prius perturbatum exercitum pellerent, quam a nobis telum in hostem iaceretur. (4) ita sine periculo legionum et paene sine vulnere bellum conficiemus. id autem difficile non est, cum tantum equitatu valeamus.' (5) simul denuntiavit, ut essent animo parati in posterum, et quoniam fieret dimicandi potestas, ut saepe rogavissent, ne suam neu reliquorum opinionem fallerent.

(3,87,1) Hunc Labienus exceptit, ut, cum Caesaris copias despiceret, Pompei consilium summis laudibus efferret, 'noli' inquit 'existimare, Pompei, hunc esse exercitum, qui Galliam Germaniamque devicerit. (2) omnibus interfui proeliis neque temere incognitam rem pronuntio. per exigua pars illius exercitus superest; magna pars deperiit, quod accidere tot proeliis fuit necesse, multos autumni pestilentia in Italia consumpsit, multi domum discesserunt, multi sunt relictii in continenti. (3) an non exaudistis ex iis qui per causam valetudinis remanserunt, cohortes esse Brundisii factas? (4) hae copiae quas videtis, ex dilectibus horum annorum in citeriore Gallia sunt refectae, et plerique sunt ex coloniis Transpadanis. ac tamen, quod fuit roboris, duobus proeliis Dyrrachinis interiit."